



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicis totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1688

XLVII. In Domin. XVIII. Post Pentec. Transfretavit. Matth. 9. Arg. Anchora salutis jacitur.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56320)

tem; suscipe cor istud, & tibi nexu ad-
amantino conjunge. Tu qui semper
ardes, & nunquam extingueris; illud
incende, ut amore amoris tui cuncta
faciam, qui amore amoris mei cuncta

condidisti. Sit hoc pactum nostrum
inconcussum, ac inviolabile, quod
olim cum dilecta tibi Catharina Sen-
nensi iniisti: *Tu cogita de me, ego cogi- In vita*
tabo de te. Fiat. Fiat.



CONCIO XLVII.

IN DOMINICA. XVIII. POST PENT.

Transfretavit. Matth. 9.

ARGUMENTVM.

Anchora Salutis jacitur.



*Vita navi-
gatio*

Ira nostra navigatio
mystica est, eaque
multo periculosis-
sima. A. In hac O-
ceanus mundus est,
corpus navis, anima
navarchus; venti, tempestatesque, af-
fectus, ac tentationes, syrtes, charyb-
des, scopuli, impendentia undique
pericula; pyratae, Lemures Averni,
portus denique ad quem nos recipi-
mus, & ad quem contendimus, Bea-
titudine sempiterna. In hac navi, si bel-
le disposita, remigum munus obeunt
Justitia, Prudentia, Temperantia,
Fortitudo; vices mali supplet Fides;
antennarum, ac carbasum Charitas.
Quid anchora? S. Paulus hoc elogio
honestat Fiduciam in Deum: Sice-

nim scribit: *Firmissimum solatium ha- Heb. 6. v. 19.*
bemus, quo confugimus ad tenendam pro-
positam Spem, quam sicut Anchoram ha- Spei Anchor-
bemus anima tutam, ac firmam. q. d. ra.
Quod in procelloso hujus mundi O-
ceano navigantibus est anchora, id
nobis ad portum aeternae felicitatis
contententibus Spes est. Sistit illa na-
vim, ne in syrtes brevique deferatur,
ne in scopulos impingat, ne retrorsum
abripatur; & ista animum, ne forte
tentationum jaectata tempestate, vel in
desperationis voraginem delabatur;
vel ad Acroceraunia desperationis al-
lidatur, ac conquassetur. Ut ergo
fluctuantium Anchora, ita tentato-
rum, afflictorumque Spes uni-
cum est solatium. *Hanc sicut anho-*
ram habemus tutam, & firmam. Verum-

tamen

tamen ne fortè perperam eandem solidare adnitamur; operæ pretium erit ostendere, quâ ratione eandem firmitur jaciamus. Cederet id ad supermi Archi-Thalassi gloriam omniumque nostrum in hoc pelago fluctuantium solatium.

§. I.

Anchora jacta in limo hujus mundi desultoria.

II. Ferociusne primum inani fidentia, qui anchoram suam fluctuantem in limo hujus mundi firmare nituntur; id est in rebus ipsius, aut propriis viribus confidunt; aut posthabito principio, à quo cuncta promanant, in mediis plus agunt, quam velit Deus, quam ratio postulet, quam negotium exigat, quam ipsemet agens queat perficere. Ethnicorum hæc, Atheistarumque vana videntia, non vera, germanaque fidelium Fiducia est.

Doctor Angelicus discrimen hoc Spem inter, & Anchoram statuit, quod ista figatur in imo, spes verò in summo. Cujus rationem adducit *Quia nihil in presenti vita firmum est, ut possit anima firmari, ac quiescere.* Quapropter qui hoc pacto anchoram jactat, basi labente, eundem labi, profundiusque demergi necessum est.

III. Adumbrata nobis graphicè ejusmodi Spes in hedera Jonæ eidem à Domino adaptata, & ab ipso Vate mirum in modum adamata. *Egressus*

est Ionas, ait S. textus, *de civitate, & sedit contra Orientem civitatis, fecit sibi inmet Umbraculum ibi, & preparavit Dominus hedera, ut esset umbra supra caput ejus, & latatus est Ionas supra hedera lætitia magna.* Resupinabatur Tityri instar bonus senecio, & ad proxiora trahenda solatia architectatum ominabatur tentorium; verum paulò post patuit, quam evanida res sit hedera, quamque famelica sua extiterint desideria. *Ascensu diluculi venit vermis, & percussit hedera, & exaruit.* Omnis illa viridantium foliorum pompa in luctum, tabernaculum in cœnotaphium, omne Prophetæ gaudium in tristitiam est commutatum.

IV. Supparem prope scenam quondam proposuere orbi spectandam rebelles Hugonotti in suo hymali Regulo, Friderico Palatino Rheni. Erexerant illi columnam triangularem marmoream, qua hedera accrescens nitebatur, adjecta epigraphe: *Te stante virebo.* Nulla mihi ob futura cœlorum inclementia, nullus me Aquilo furioso extirpaturus impetu, nulla me vis hinc emotura. *Te stante virebo.* O siderati rebelles, num vos Jonæ fallit vermiculus, aut Adrasteæ vobis excidit Rompheæ? Num vos latet, quod instet ultor à tergo Deus? quod securis ad radicem posita? Ecce unctus Domini, qui à vobis perinde ac vermis reputatus, ipse vobis imminet, vestram scenam mox in sibilum daturus. Dictum, factum. Venit, vidit, admordit, hedera protrivit, colum-

Iona, 4. v. 6.

Friderici
Palatini
Rheni
columna
confidentia

Spes in rebus caducis vana

D. Thom. in 4. ad Heb.

columnam subvertit. Idem epilogus
omnis humanæ fidentia, ut nititur
labili, ita cadit cum labili. Hedera
est, quæ tum proximior est exitio,
quam splendidiore fastus efflorescit
indicio. Hedera est, quæ cum sibi
videtur hæere maximè vermè time-
re cogitur proximè. Hedera quæ quã-
tò plus præferet plenitudinis, ac va-
stitatis tantò plus continet vanitatis.

*Spes Olla
colla: a*

*Psal. 59. 10.
Bell. b. l.*

V. Vates purpuratus confert quo-
dam in loco ejusmodi Fidentiam Ol-
læ, ut credo argillaceæ, in materia
tam vili, quam fragili. *Moab*, inquit,
olla spei meæ. Sensus literalis sacrorum
Interpretum est, Regem illum ex
Provincia Moab, quæ basilica vecti-
galia, ac reditus alios, quæ annonam
uberrimam percepisse in Oeconomiam
familia: suæ; in tantum, ut citra
omnem impendentis cuiuspiam de-
fectus degeret sollicitudinem.

Libet tamen indagare, qua de cau-
sa conferre maluerit spem suam ollæ
potius, quam carchesio, aut gaza,
aut cornucopiis, aut alii rei cuiuspiam?
An non cumulati inibi opes, quam
in olla reconduntur? An non splen-
didius ex auro, quam ex argilla inno-
tescunt? Num fortè perspexit Rex
sapientissimus spem rerum munda-
narum instar ollæ, ut plurimum non
nisi unam ansam nancisci, qua facile
avulsa, famelicos sectatores suos, ac
jejunos destituit. Numquam enim
ambabus manibus caduca stringi
queunt; & identidem quò violentius
prenduntur eò citius avelluntur. Vel
si parte ex una radius uberioris fortu-
næ affulget; actutum caligo ex alia
cum involutiva se evolvit. *Moab olla*

spei meæ. An quod spes tanquam ol-
la, si plena sit, semper ad ignem
ferveat, sin vacua frigeat. Evenit e-
nim sæpèpius, Spes frustrata inte-
pescant, auctæ proritentur veho-
mentius, flammamque hauriant. Lig-
na dixeris bona temporalia, ad fo-
cum luculentiorum arsura intensius.
Moab olla spei meæ. An verò ad rotam
figuli alludebat, indicando Spes, seu
res mortalium, non secus ac ollam,
in rota figuli versari? Omnium enim
rerum caducarum gaudia in motu
sunt, celerique turbine in orbem
vertantur. *Dixit fortuna, si starem ro-
ta sub una, & non mutarer, non utique
fortuna vocarer*. Hæc est vicissitudo,
aut consuetudo fortunæ, fortuna-
rumq; nunquam eodem loco consi-
stere. *Moab Olla spei meæ*. An etiam
in memoriam reducere voluit, ut
quondam in Ollam Vatum, ita in
Ollam spei desultoria se se mortem
insinuare. Nulli fortuna infestior,
ac fatalior, quam quos indulgentif-
simè fovit. Quos diu ambrosia fe-
licitatis lactaverat, demum fulmina-
tis strangulat casibus. *Moab Olla spei
meæ*. Vel deum edocete voluit,
Spem ejusmodi haud diutius peren-
nare, quam offam quatropiam in illa,
quæ ut coquitur, ita figuritur. *So
lang die nudlen im topff/so lang verhar-
ret die hoffnung im kopff*. Quæcunque
mens illius fuerit, vanitatem profe-
ctò Spei mundanæ luculeter de-
monstravit.

VI. Alio item in loco componit
curribus, & equitibus pompole in-
cedentibus. *Hi in curribus, & hi
in equis, nos autem in nomine Dei no-
stri*

*Spes in cur-
ribus vana
Psal. 29. 8.
Exod. 15.*

Psal. 98. *Exodi 15.* *Ibid.* *Spes hominum irrita* *Iud. 4. v. 3.* *Iud. 5. v. 29.* *Iud. 4. v. 21.*
 stri invocabimus. Prò quantas spes non nuttierat Pharao in curribus, & quadrigis suis; Persequar, ait, & comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea. Certus sum victoriæ: manent me spolia Egypti, ad votum cecidit meum ipsorum exitus. Et quis finis tantæ Fidentiae? Currum Pharaonis, & exercitum ejus proiecit in mare, & reduxit Dominus super eos aquas maris. Ex tanto exercitu ne unus quidem, qui nuntium cladis referret evasit, nec ungula æqui, quæ enataret, nec rota una, qua quispiam evolveretur ad littus.

VII. Quantas non alebat spes Sisara Dux exercituum summatis Chanaan? Nongentos habebat falcatos currus, & per viginti annos opprimerat valde Israel. Præconcipebant, omniabanturque illi fausta omnia concubinae, jamque Io Pæan occinebant triumphatori. Vna de uxoribus eius sapientior cæteris has socru verba respondit: Forsitan nunc dividit spolia, & pulcherrima fœminarum eligitur ei; vestes diversorum colorum traduntur Sisara in prædam, & supellex varia ad ornanda colla congeritur. Hæ erant spes illarum posita in curribus, & equis; quas in momento, idque fœmineo exercituum Duce subvertit, protrivitque Dominus. Quippe perterruit Dominus Sisaram, & omnes currus eius, universamque multitudinem de ore gladii ad conspectum Barach, in tantum ut Sisara de curru desiliens pedibus fugeret, & mox à Jael fœmina clavo trabali in frontem adactò ignominiosissime trucidatus sit, non alia legens spolia, præterquam Libitinae, nec aliam suppelle-

tilem quam vermes hæreditando.

VIII. Quantas item Arphaxad, qui gloriabatur quasi potens in potentia exercitus sui, & in gloria quadrigarum suarum. Quid inde? Obtinuit eum Nabubodonosor in campo magna; qui appellatur Ragan. Perit ipse, & regnum ejus devolutum est ad Regem Babyloniorum. Hæc spes subinde Absolonis, & aliorum solidare illas intendentium in lubrico divitiarum, aut quadrigarum suarum; idque duntaxat referentium, ut maturius ad ergastula deveniant Proserpinæ. Certè non ivère hi, nec profecturi alii suis curribus ultra tumulum cadaveri aggerendum. In hoc monte sistentur equi, recingentur à rhedis, & biga cedit una uni, altera alteri, Tu vero qui hætenus in sublimi ferebaris tumulo, sub pulvere dormies. Hic forsitan alter per cadaver tuum, tuosmet ager caballos, tuumque premet furibundus cinerem.

IX. Hic idem exitus illorum, qui confidunt in umbraculo amicum, aut in propinquoetum sanguineo anchoram suam defigunt vado. Hirundinum enim in morem diffugiunt, instante bruma fluminisque instar dilabuntur. Hæc item fors illorum, qui viribus cuncta suis, aut laboribus, sequestrato etiam Numine, attribuant. Irritus enim omnis labor est, quem superi non comitantur, nec sublevant. Nisi Dominus adiscaverit domum, in vanum laboraverunt, qui adiscant eam. Nisi ille benedixerit, actum est de omnibus. Nequit anchora nostra in tam lubrico

co dentem figere, nequit spes hisce
nixa fundamentis solida consistere,
nequit animus inconcussus in illis per-
durare.

§. II.

*Anchora citra camelum, senca-
tenam perperam jacitur.*

X. Non minus parte ex altera hal-
lucinantur, qui citra anchorarium
funem nudam anchoram jaciunt; id
est seclusis à Deo præordinatis mediis
beatitudinem se obtenturos ominan-
tur.

*Spes sine
mediis nul-
la.*

Horum in censum primitus vocati
Israelitæ illi, qui omnem spem suam
in Abrahamo, inque templo Domini
reponerant. In eundem referendi
A Catholici, qui sola fide in Chri-
stum sine ullis bonis operibus salvan-
dos se augurantur, nec sibi duntaxat,
sed & alius securitatem pollicentur,
dummodo in Fidentia sua mordicus
persistant, & certo sibi persuadeant,
per Christum remissa esse peccata. In
eundem cogendi & ipsi Orthodoxi,
qui securi in aurem utramvis dormi-
unt, nec tam difficilem, & arctam
ad cœleste Capitolium viam autu-
mant, Deum non pro anseribus, sed
pro hominibus architectatum esse
cœlum oblateralant; pœnitentiam aut
omnino ejurant, aut ad agonem us-
que protelant. Hæc Spes & Numi-
ni injuriosa, & in se siderata, & ha-
benti pernitiōsa est.

*Item Inju-
riosa*

XI. Injuriosam dico Deo, utpote
quæ ejus summa Bonitate, ac Mise-
ricordia ad peccandum licentiosius si-

bi lenocinatur. Ex eo enim quod
Misericordia Dei immensa est, infe-
runt Sophismate perversissimo sibi li-
cere, supremam illius majestatem la-
cessere; cum saniore syllogismo con-
cludendum foret, eandem non irri-
tandam peccatis, non abutendum
gratiis oblatiis. Summa enim ejus
Bonitas unumquemvis ad amorem
rapere, non vero ad aversionem pel-
licere deberet. Ex eo item, quod
Deus longanimis sit, putrescunt tan-
quam jumenta in stercore suo, & pro-
longant iniquitates suas. Id est, sub
spe veniæ, ac misericordiæ divinæ
cumulant peccata peccatis. Hi au-
dire deberent S. Paulum in se fulmi-
nantem: *An divitias bonitatis ejus & patientiæ, & longanimitatis ejus contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis iusti iudicii Dei.* Nescis, inquit ille, quod Deus veniat hoc graviore manu, quo graviore pede? Nescis quod pro præparatis misericordiæ thesauris, quos explodis ac evacuas, furores illius in tui exitium exaggeres? Nescis quod cor durum, id est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate molitur, nec movetur precibus, nec cedit, flagellisque induratur, male habebit in novissimo?

*Rom. 2. v.
4. 7*

XII. Stultam ajo iterum ejusmo-
di spem prorsusque amentem. Ete-
nim quid iudicii statueritis de colono
illo, qui terra inarata, nec semine ul-
lo in fœdus concredito, sibi messem
uberem polliceretur? Quid fameli-
co, qui ore hiantem manibusque com-
plicatis,

*Spes sine
mediis
futilis*

plicatis, columbas assas, velelixas desuper præstolaretur advolantes. Quid de famulo illo, qui cum totam diem, immo mensē, & annum traduxisset in otio, à Domino efflagitaret mercedem, ea duntaxat de causa, quod potens sit, bonamque spem de ipso præceperit? An non quisvis colonum illum diceret sideratum? illum famelicum stupidum? illum famulum gravissimis pullandum verberibus? Et nos prudentes arbitramur, si eodem fascino imbuti, a thelleboro pasci, illud nobis sciverimus? An non æquè in spiritualibus, ac temporalibus mediis ad finem consequendum cœlitus ordinata? Quorsum inclamat Princeps Apostolorum: *Fratres satagite, ut per bona opera certam vestram electionem, & vocationem faciatis; si sine illis possessio æternæ beatitudinis adeatur?* Quorsum monet Cō Apostolus Paulus: *Qua seminaverit homo, hæc & metet. Quæ in terris seminaverit bona, eadem metet in cœlis; quæ seminaverit mala, eadem metet, seu inferet ad horrea inferorum. Qua seminaverit homo, hæc & metet, & qui seminaverit in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Qui nihil seminaverit, nihil metet. Nec cœlestis nec terrestris agricola spem alere fructus, messisque poterit, si nec quicquam eroga verit. Fulguret sol, decidat imber, inebrientur rore arva, perflent venti, rideat cœlum, nisi colonus terrestris cooperetur, actum est de spe, ac messe temporali. Parte ex altera excitet Deus colonum cœlestem, præveniat benedictionibus, ac illustrationibus, fidem ille habeat, ut mon-*

tes transferat; si charitatem non habuerit, si cooperatus non fuerit, spera veram salutis concipere ne utiquam poterit. Vel quamcunque conceperit, vana erit, futilis, & siderata.

XIII. Quorsum Judæos olim redarguit Jeremias: *Nolite confidere in verbis mendacii dicentes: Templum Domini, tēplū Domini est, quoniam, si bene direxeritis vias vestras, & studia vestra, si feceritis iudiciū inter virū, & proximū eius, habitabo vobiscū in loco isto; in terra quam dedi patribus vestris. Ex adversum vero: Si mandata mea transgressi fueritis, si vocati non responderitis, faciam domui huic, in qua invocatum est nomen meum, & in qua vos habetis fiduciam, & loco, quem dedi vobis, & patribus vestris sicut feci Silo. Et proieciam vos, sicut proieci omnes fratres vestros. Quemadmodum averti vultum meum in indignatione mea ab eis, ita avertam illum à vobis, & ut dedi illam in direptionem hostibus eorum, ita tradam vos in opprobrium inimicis vestris.*

XIV. Quorsum demum ait Christus Deus noster: *Nolite dicere: Semen Abrahæ sumus; confidimus in meritis, ac intercessionibus ipsius. Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Opera enim non verba discernunt inter filios diaboli. Vanum itaque, & stultum est, citra catenam mediorum jactare anchoram, citra viam intendere terminum, citra media finem consequi velle.*

XV. Assero tertio ejusmodi fidem cuiusvis mortalium extremè pernitiosam; nec ullum eadem imbutum beatitatem consecuturum. Nam

Fff 2 quem.

Opera bona
ad salutem
necessaria

2. Petri 1.
v. 10.

Gal. 6. v. 7.

2. Cor. 9

Ter. 7. v. 4.

Ib. v. 14.

Ioan. 8. v.

38. 39.

Item novim

quemadmodum non renati in aqua, & Spiritu S. sine illo beatissimo excidunt; ita non minus ii, qui mediis aliis à Deo ordinatis abutuntur. Ut enim dictum est: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non potest intrare in regnum Dei*: ita etiam: *Si vis ad vitam ingredi serua mandata*. Seruantibus patent illa ostia, quæ obsecrantur transgressoribus.

XVI. Scitè observat vetustissimus Origenes Dominum non quosvis de Ægyptiaca servitute segregatos, & egressos in censum vocare præcepisse; sed à vigesimo anno, & supra fortissimos quosque secluso scæmineo sexu; idque post datam legem. Quid hoc inquit mysterii? Numquid non æquè alii per Moysen vindicati? Numquid non item scæmineus sexus per mare rubrum traductus. Numquid infantilis ætas quidpiam demerita, quominus & ipsa in album referretur?

Respondet autem in hoc facto adumbratam nobis esse spei, ac vocationis nostræ rationem. Ait enim: *Non statim ut egressus est de Ægypto populus numeratur; adhuc enim persequabatur Pharao; sed nec cum mare transiens venit in desertum dicitur numerari. Nondum enim tentati, nondum ab hoste fuerant impugnati. Confligunt adversum Amalec, & vincunt, sed necdum quidem numerantur. Non enim sufficit ad perfectionem una victoria, Manna accipiunt potum, & aquæ poculum, de sequente hauriunt petra, sed neque tunc numerantur. Nondum enim in his, quæ numeris apta adoleverunt. Testimonii tabernaculum construitur, sed nec in hoc*

quidem numerandi populi tempus advenit. *Lex per Moysen datur, sacrificatur, mos traditur purificationum, leges & sacramenta condantur, & tunc ad numerum ex præcepto Dei populus adducitur. Hæc ille sed quorsum obsecro omnia? Cur non post transitu illico in album relati? Cur dico primum post leges acceptas, & sacrificia, & cæremonias calculantur? Nempe quia non satis est de gentilitate exire, non satis est sacris tingi lymphis, non satis est credere, non satis gaudere tabernaculo, sed insuper præcepta Domini admittenda, ac sacrosanctè custodienda. Hinc idem subdit: *Describe tibi in corde tuo ô Auditor dupliciter & tripliciter. Vide quanta tibi transeunda sunt, quanta toleranda; quot profectibus, quot tentationibus, quot praliis, tibi pugnandum est, & vincendum, ut possis ad divinum numerum pertinere; ut in computo aliquo habearis apud Deum; ut inter sanctas tribus adnumerari merearis, ut visitari possis, & per Dei Sacerdotes Aaron & Moysen numerorum censibus adscribi. Quæ tandem illa ô magne Doctor? Suscipienda nimirum est primum Lex Dei, offerenda sacrificia, explenda purificationes, peragenda cuncta, quæ Lex spiritus docet, ut possis aliquando ad Israheliticum numerum pertinere. Ex quo liquido constat spem ac Vocationem nostram non in sola apprehensione divinæ bonitatis, aut finis, sed in mediorum executione positam esse.**

§. III.

Anchora salutis firmissima,

XVII. Anchora itaque spei, ac salutis

salutis firmissimè jacitur, si Camelus eidem adnectatur. Planius edissero. Si ita in Bonitate ipsius, ac miserationibus ejus multis confidimus, ut quantum in nobis est, concupiscentiis nostris frenos ponamus, bonif- que operibus insistamus. *Spes enim vera, ex mente Theologorum est, certa expectatio futura beatitudinis, ex gratia Dei proveniens, & ex meritis precedentibus.* Dicitur *expectatio*, quia tendit in bonum arduum, nullis natura viribus, sed auxilio divino obtinendum. Dicitur *futura beatitudinis*, quia primariù Spei objectum est Beatitudo ventura, secundariù cœtera, quæ spectant ad ejus consecutionem. Dicitur tandem *provenire ex gratia, & ex meritis nostris*, quia ut dixi unum sine alio aut præsumptio est, aut vanitas.

XVIII. Ascendebat dilecta illa, ac decantata in Canticis, sed non nisi *innixa super dilectum suum*. Ut brachiis dilectionis succollabatur, ita vicissim Dilectum amplectabatur. Ut ille præveniebat Sponsam miserationib⁹ multis; ita illa respõdebat mutua charitatis, observantiæ, submissionis officiis.

XIX. Vidit Jacob scalam, per quam enitebantur Angeli, sed parte una firmabatur in terra, seu in Jacobo, altera in celo, seu in ipso Deo illum sustentante. An non ut hoc pacto nobis ascensio per fiduciam in cœlum adumbraretur? Nisi enim Spes nostra, perinde ac scala ista nitatur & solo & polo, ad ita paradysi nullatenus conscendere valebimus.

XX. Vidit D. Joannes alterum Angelum descendentem de cœlo, amictum nube, & iris in capite ejus.

Hic posuit pedem suum dextrum supra mare, sinistrum autem super terram. Hieroglyphicum & istud Spei nostræ est. Utroque enim nitendum est pede, dextro quidem supra firmam Petram Christum; sinistro itidè supra mare, id est mutabilitatè liberi arbitrii nostri, seu cooperationem nostram.

XXI. Dicitur denique certa, quia eidem pusilanimitas contrariatur; & quia firmatur in æterna Dei ordinatione, qua nos creando ordinavit in gloriam suam. Fundatur in Omnipotentia ejusdem, quia potens est edificare, & dare hereditatem in sanctificatis omnibus. Etsi omnia peccata totius mundi perpetrasses; si cum ipso Lucifero DEum ex suo throno deturbare attentasses, si cum Juda proditore sanguinem filie ejus vendidisses, aut conculcasses &c. potens est dare hereditatem, & gratiam ad resurgendum.

Fundatur item in divina Liberalitate, ac Misericordia, quâ nobis pollicitur est illam beatitatem; unaque auxilium gratiæ ad removenda obstacula omnia, quæ remoram injicere possent, ad illam consequendam. Fundatur vel maximè in meritis, & passione Domini Assertoris nostri. Quid his fundamentis certius, quid solidius.

XXII. Audite quæso ex his principis ratiocinantem non Platonem prophanum, aut Aristotelem vanum; sed entheum Theologum, D. inquam Paulum. Qui proprio, ait ille, Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam omnia alia cum illo donabit? Qui dedit cimelium, num negaturus virtum? Qui contulit thesauros; num in obulo elargiendo

Fff 3

tenax

Spes vera in
quo sitaMag. Sent.
in 3. p. dist.
26. c. 1.

Cant. 8. v. 5.

Gen. 28.

Apoc. 10. v.
12.Act. 20. v.
23.

Rom. 8. 32.

tenax judicabitur? Qui misit Filium suum Unigenitum pro nobis in mortem, an ea, quæ concernunt Justificationem, glorificationem, non elargietur? Num fluctuaret quispiam animo, judicandus ab eo, qui pro se servando, proprio filio, ei que intimè adamato non pepercisset, sed in mortem crudelissimam tradidisset? Non utique. Et tu ò miser etiamnum jactaberis & addubirabis de bonitate illius, quum tantum pignus teneas? Num si te perditum iret, talia pignora tibi credidisset?

XXII. Licet autem incertitudo quæpiam sit, ex parte infirmitatis nostræ, liberique arbitrii, quod deficere potest à sperata beatitudine, non utendo mediis à Deo ordinatis; nihilominus Spes nentiquam dicenda incerta, aut infirma, cum proximè respiciat omnipotentiam, ac misericordiam divinam, cui innititur; & ad quam spectat quadantenus suscipere in se infirmitatem nostram, illamque vi gratiosæ promissionis suæ firmare. Ita ut ea de causa anima fidelis per Spem meritò possit quadam certitudine extendi ultra opinionem propriarum virium, expectando à Dei Bonitate infirmitatis suæ stabilimentum, Deoque ipsi innitendo, qui facienti, quod in se est, non denegat gratiam.

Spes incul-
catum

Heb. 4.

XXIII. Ut hac anchora nixi ad portum beatitudinis, & ad Deum ipsum contendamus, adhortatur nos Tuba Evangelica in Epistola ad Hebræos: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam in tempore opportuno. Accedamus & si in injustitia sumus*

cogitemus Publicanum; si immundi, attendamus Meretricem; si homicidæ, respiciamus Latronem; si perfidi cogitemus blasphemos gratiæ redonatos. Consideremus Paulam prius persecutorem, subinde prædicatorem, prius invalorem, deinde dispensatorem; antea lupum, posthac pastorem; antea piratam postea gubernatorem. Major est enim misericordia Domini, quam iniquitas esse potest servuli. *Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ.* Non ait Justitiæ, Omnipotentis, Majestatis divinæ, quæ terrorem nobis, pusillanimitatemque ingenerare possent, sed Gratia, ut misericordiam consequamur. *Adeamus*, licet fremat mundus, premat corpus, insidietur Orcus, quoniam ipse vulneratus est propter iniquitates nostras. *Adeamus*, ad thronum Gratia, quoniam ibi clamat clavus, clamat vulnus, patet arcanum cordis per foramen corporis, patent viscera misericordiae Domini Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. *Adeamus*, & dicamus cum Psalte: *Mihi adharere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam*, qui cum ipsa Bonitas sit, semper nobis benefacere exoptat, confidentibusque in se nunquam benefacere cessat. *Mihi adharere Deo bonum est, & ponere in Domino deo spem meam*, quem confido affuturum in pugna spirituali adiutorem, in necessitatibus, & angustiis tutorem, in hora mortis meæ vitam, & coronam meam. *Mihi adharere Deo bonum est*, quia nemo in ipsum sperans confusus est. Oro itaque Domine, ut spes tua firma sit in me, & non confundar, quoniam speravi in te. Fiat,

CON-